



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 23. De officio Pontificum & Cardinalium juxta Papiensem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XXIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1468.*De officio Pontificum & Cardinalium
juxta Papiensem.*

Ad idem tempus revocatur quidam tractatus seu epistola Cardinalis Papiensis ad Cardinalem Mantuanum scripta *Papiens. epist. 280.*
de officio summorum Pontificum & Cardinalium in Republica Christiana rite administranda. Præprimis ostendit, Pontifices in gravioribus causis Cardinalium consensum exquirere, illos vero juxta justitiæ ac veritatis præscripta consilium suum dare obstrictos esse. Cardinales, inquit, Pontificis Consilarii sunt, non Magistri, eorumque monita dicuntur vota, non voluntates, ideoque in spiritu pacis non imperiose sua proponant consilia, nec ægre ferant, si non acceptentur eorum placita; persuasum enim illis sit, meliora quandoque aliorum esse judicia. Cum vero de agendi ratione tractat, quam summi Pontifices tenent erga Principes, his exprobrat, quod nonnunquam indigna, & iniqua a Pontificibus exigant; minantur, cum postulant, & cum non impetrant, irascuntur, quos tamen vel ea postulasse pudere deberet. Principibus, prosequitur Cardinalis, honor etiam dum injusta petunt, habendus est, non autem quæcunque postulant, aut æqua reputant,

Sæcul. XV. tant, illis concedenda. Additque, ac
A.C. 1468. cidere persæpe, ut maxime rogent ea,
 quæ minime concedi cupiunt; quippe
 frequenter suas interponunt preces aut
 amicis obsequendi studio, aut petentium
 importunitatem hac ratione redimen-
 di artificio; hujus rei specimen exhibet
 Papiensis in Carolo VII. Francorum Re-
 ge, qui ab Eugenio IV. enixe petebat, ut
 juvenem quemdam inexpertum, ac legi-
 tima ætate destitutum Metropolitanæ
 Ecclesiæ præficeret, idque assecutus fa-
 ctum damnavit; cum vero Regi objecta-
 rent nonnulli, hunc ad ejus preces pro-
 motum fuisse: *Intercessi, respondit, sed*
non credidi concessum hoc iri; sic nempe
femetipsum extortæ postulationis, Eu-
genium vero nimis facilitatis incusabat.

§. XXIV.

De Itinere Imperatoris ad Papam.

Cum die prima Decembris nuntiatum
 esset summo Pontifici, quod Frideri-
 cus Imperator, ut voto sacræ peregrina-
 tionis ad limina Apostolorum satisfaceret,
 hoc anno in Italiam tenderet, totus in eo
 erat Pontifex, ut Cæsarem Majestate
 sua dignis honoribus exciperet. Quare
 quemdam ex iis, quos ab epistolis habe-
 bat, quam longissime ire obviam jussit,
 dato negotio, ut crebris nuntiis de ra-
 tione